

906. QUÆRITUR 3. An liber homo possit oppignorari. *pa.* Possit filium à patre oppignorari in casu necessitatis, quo eum possit vendere vi patriæ potestatis, ut in proprio loco dictum est. eodem modo potest captivus (si in pignus dare illi qui pro eo litrum solvit & redimit ab hostibus, donec solvat litrum, sive servitiis sive alio modo. Quo sensu, & non strictius est accipiendum capitulum 2. de pignor. dicens. [Lex habet ut homo liber pro debito non detineatur, etsi res defuerint, quæ possint pro debito addici.] Quæ lege non prohibetur incarceratione quorundam debitorum, de qua incarceratione actum est *io. r. sr. 2. de cessione bonorum.* Eodem modo est intelligenda lex 6. C. quæ res pignori. [Qui filios vestros, vel liberos homines pro pecunia quam vobis credebatur, pignoris titulo accepit, dissimulatione se juris circumvenit, cum sit manifestum, obligationem pignoris, non consistere nisi in his quæ quis de bonis suis facit obnoxia.] Ratio itaque resistens oppignorationi est, quia deficit dominium.

Valeret ergo pignus, si quis in extrema necessitate constitutus, in quâ bona proximi incipiunt esse communia (ut loco cit. dictum est) acciperet rem proximi, & eam pro mutuo obtinendam oppignoraret; quia interim fit dominus: quamvis postea, obtentâ facultate luendi pignus teneretur redimere, & domino priori restituere.

907. Extra casus positos qui liberum hominem tanquam pignoris loco detineret, & servire coegeret, graviter puniretur penis contentis in anth. *lmo C. de Ob. & Al.* Nam cum lex 12. dixerit: [Ob res alienam servire liberos creditoribus jura compelli non patiuntur, subjungitur authentica. Imò à debito creditor cadit, tantum dando vel retento, vel ejus parentibus, ipso quoque creditore corporalibus penis subdendo.]

In favorem tantum captivorum, & promotivo redimendi, conceditur in lege *fin. C. de post. lim. revers.* ut redemptus teneatur sub disjunctio-  
ne vel pretium redemptionis refundere, vel servire per quinquennium. ibi. [Ne quando tantum damni consideratio in tali necessitate positæ negari faciat empitionem, decet redemptos aut datum pro se pretium emptoribus restituere, aut laboris obsequio, vel opere quinquennii vicem referre beneficii, habituros incolumem (si in ea nati sunt) libertatem.]

Quæ dicta sunt procedunt de auctoritate privatâ, & debito privato. Nam quâ ratione, & cum quanta obligatione possint in bonum patriæ & communitatis in bello ad securitatem pacis servando & pactorum obsides dari, non est nostri instituti tractare.

908. QUÆRITUR 4. An res litigiosa possit pignori dari. *re.* De hoc extat textum in *l. 1. §. 2. ff. quæ res, &c.* ubi videtur id

negari de rebus mobilibus tantum. ibi. [Quid ergo, si prædium quis litigiosum pignori accepit, an exceptione submovendus sit? Octavianus putabat, etiam in pignoribus locum habere exceptionem, quod ait Scævola procedere, ut in rebus mobilibus locum habeat.] Verum, ex titulo C. de litigiosis satis constat, nec immobilium pignus tenere, & ratio est, quia res litigiosæ vendi non possunt.

909. QUÆRITUR 5. An res ad agriculturam spectantes possint oppignorari. *re.* Si Negulancio credimus, consuetudo talem oppignorationem admittit. De Jure scripto autem aliud dicendum esset, saltem loquendo de pignore prætorio seu judiciali, per legem 7. C. quæ res pign. [Executores à quocunque Iudice dati ad exigenda debita ea quæ civiliter possuntur, servos, aratores, aut boves aratorios, aut instrumentum aratorum pignoris causâ de possessionibus non abstrahant; ex quo tributorum illatio retardatur.] Dixi: de pignore prætorio loquendo. Nam etsi P. Molina cum quibusdam aliis putet, legem loqui etiam de pignore conventionali, ego tamen nihil in venio, ex quo possim id efficaciter inferre. præsertim quia lex 8. & authentica statim sequens, planè de violenta ablatione loquuntur. Auth. sic habet. [Agricultores circa rem rusticam occupati, dum villas insident, dum agros colunt, securi sint in quacunque parte terrarum, ita ut nullus invenitur tam auidax, ut personas, boves, & agrorum instrumenta, aut si quid aliud sit, quod ad agrorum operam rusticam pertineat, invadere aut capere, aut violentè auferre præsumat. Si quis autem hujusmodi statutum aut temerario violare præsumperit, in quadruplum ablata restituat, & infamiam notam ipso jure incurtat. Imperiali animadversione nihilominus puniendus.]

#### CONTROVERSIA IV.

Quid possit in constituendo pignore vel hypotheca Procurator, Tutor, & Curator.

#### SUMMARIUM.

**H**abens mandatum generale cum libera. potest oppignorare. 910.

Imò & procurator illius qui solebat pecunias accipere sub pignore. 911.

Quid si pignus ignorante domino constitutum, versus est in utilitatem principalis. 208.

Quid si pignus non fuit traditum. 912.

Quid possit Tutor & Curator. 913.

86 (0) 83

910. QUÆ-

910. **Q**uamvis ex hacque disputatis facile sit judicare de illis, quæ sub hoc titulo veniunt, quia tamen alias ex aliis deducere conclusiones, non fert quibusvis ingenium, & ipsa etiam jura non designantur specialius de illis statuere, nobis quoque grave esse non debet.

Quod ad Procuratorem seu Mandatarium attinet, supponendum est ex dictis, in contractu mandati alium esse qui habet mandatum generale, & alium, qui habet speciale: Rursus ille qui habet generale, aliquando id habet cum libera, aliquando sine libera. Qui habet speciale mandatum oppignorandi aut hypothecæ subijcendi, utique valide oppignorat. Loquendo ergo de habente mandatum generale,

DICENDUM 1. Mandatarius cum libera, hociusmodi quod possit res quas administrat titulo oneroso alienare, potest etiam oppignorare, & hypothecare, ita exigente utilitate mandantis seu principalis, non tamen præcisè in commodum alterius. Ratio est: quia talis oppignoratio esset quædam donatio quoad estimationem: atqui donare non est permillum habenti liberam administrationem, hæc enim non tam esset administratio, quam potius dissipatio: & ideo nec filiofamilias in peculium cuius liberam habet administrationem permittitur, *l. 1. §. 1. ff. quæ res pign.* [Si filiusfam. pro alio rem peculiatem obligaverit, vel servus, dicendum est, eam non teneri, licet liberam sui peculii administrationem habeat, sicut nec donare eis conceditur.]

911. DICENDUM 2. Procurator illius, qui solebat mutuas accipere pecunias sub pignore, etiam si non habeat mandatum cum libera, potest nihilominus pignora dare pro mutuo. *l. 12. ff. de pignor. actione* junctis verbis immediate præced. [Vel universorum bonorum administratio ei permilla est ab eo, qui sub pignoribus solebat mutuas pecunias accipere.]

DICENDUM 3. Signorante domino, sciente creditore, procurator sine libera pignus constituit pro mutuo, vel aliquo alio, idque conversum esse in utilitatem domini, & pignus est creditori traditum, potest creditor pignus tenere, donec sibi in tantum satisfiat, in quantum creditor probaverit, conversum esse in utilitatem principalis. *l. 1. C. si aliena res pign.* [Procurator citra voluntatem domini domum pignori frustra dedit. si tamen pecuniam creditoris in rem domini verfam constabat, non inutilis erit exceptio, duntaxat quod numeratum est, exolvit desideranti.]

912. DICENDUM 4. Si verò pignus non est traditum, tunc convenit creditori solummodo actio pignoratitia personalis adversus principalem seu pignoris dominum, ut solvat, quantum in illius utilitatem versum est. Ratio est, quia contractus non tenet: ergo caret actione reali. Equitas tamen requirit, ut habeat ac-

tionem personalem, ne alioquin unus cum alterius jactura locupletetur: & etiam ex eo colligitur, quòd si pignus traditum esset, postet illud retinere.

913. DICENDUM 5. In utilitatem minoris aut pupilli potest Curator & Tutor res mobiles (non pretiosas quæ servando servari possint) illorum propriâ auctoritate subijcere pignori, non verò in utilitatem suam vel alterius. *l. 3. C. si aliena res.* [Curator autem, vel tutor pupilli, propriam rem mobilem ejus cujus negotia tuetur, pignoris jure non obligare potest, nisi in rem ejus pecuniam mutuat accipiat.] Quod si in utilitatem suâ vel alterius oppignorâset, convalesceret pignus ex consensu domini post perfectam artem, art. *l. 7. eod.* [Si in rem suam acceptâ pecuniâ mutua tutor mancipium tuum pignori dedit, nec huic post perfectam artem consensum accommodâsti, pignori res obligari non potuit.]

#### CONTROVERSIA V.

Quibus obligationibus accedere possit Pignus aut Hypotheca; & an eadem res successe pluribus obligari possit.

#### SUMMARIUM.

**P**ossunt res obligari pro quocunque debito secundum leg. *5. ff. h. t.* 914.

An hypotheca in diem constituta habeat prioritatem respectu absolutæ tempore posterioris. 915.

Quid si in diem dilata sit non solum pignoris obligatio, sed etiam mutui numeratio. 208.

An locator potior esset creditore, cui res esset obligata ante tempus solvendæ mercedis. 916.

Quis potior ex creditoribus, uno cui sub conditione, altero cui absolute res oppignoratur. 917.

An ex hypotheca conditionata possit agi ante postquam conditionem. 918.

Generalis hypotheca pluribus fieri potest. 920.

Imò & specialis: si res sit sufficiens utrique debito. 921.

Quid si non sit sufficiens. 922.

An prior creditor consentiens censetur consentire, ut sibi alter præferatur. 208.

An censetur simpliciter renuntiare hypotheca. 923.

Si eadem res insufficiens duobus obligetur insciis, quomodo juretur secundus. 924.

914. **Q**uod attinet ad primum membrum tituli hujus, accuratissime & clarissime comprehenditur in lege *5. ff. de Pignorib. & Hypoth.* [Res hypothecæ dari posse sciendum est  
Oo 3  
pro



pro quacunque obligatione, five mutua pecunia deat, five dos, five emptio vel venditio contractatur, vel etiam locatio & conductio, vel mandatum: & five pura esse obligatio, vel in diem, vel sub conditione, & five in presenti contractu, five etiam præcedat, sed & futura obligationis nomine dari possunt; sed & non solvenda omnia pecunie causa; verum etiam de parte ejus, & vel pro civili obligatione, vel honoraria, vel tantum naturali: sed & in conditionali obligatione non aliis obligantur, nisi condicio existit.

915. QUÆRITUR 1. An hypotheca in diem constituta habeat prioritatem respectu hypothecæ absolute constitutæ, sed postero tempore, prius tamen antequam veniret dies prioris hypothecæ. Ratio dubitandi poterat esse, quia pernici adjectionem videri poterat suspensa hypothecæ usque ad diem instar conditionis adjectæ. Nihilominus & affirmativè per textum apertum in l. 12. §. 1. ff. qui pot. in pig. ibi. [Unde si in diem de hypothecâ convenit, dubium non est; quin potior sit: licet ante diem cum alio creditore pure de eadem re convenit.] Itaque quando v. g. mutuum sub pignore hodie accipitur, ita tamen ut res oppignorata primùm esse incipiat post mensem, potior est talis creditor illo, cui eadem res intra hunc mensem oppignorata fuit.

Aliud dicendum esset, si in diem dilata esset non solum pignoris obligatio, sed etiam mutui numeratio, v. gr. si conveniretur, ut si post mensem tu mihi numerares mutuum, ego tibi obligarem domum. Ratio disparitatis est, quia in hoc casu sicut contractus mutui primùm post mensem celebratur, ita & pignoris contractus, in priori autem casu celebratur ante mensem, licet effectus differatur in mensem. Item in posteriori casu est re ipsa contractus conditionatus, nempe. [Si numeraveris pecuniam, erit res obligata. l. 11. ff. eodem. Potior est in pignore, qui prius creditur pecuniam & accipit hypothecam, quamvis NB. cum alio ante convenerat, ut si ab eo pecuniam acceperit, sit res obligata, licet ante hoc postea accipit: poterat enim licet ante convenit, non accipere ab eo pecuniam.]

916. QUÆRITUR 2. An locator, domus v. g. ad annum in pignore seu hypotheca pro mercede constituta, potior esset illo creditore, cui eadem res obligaretur ante anni lapsum, adeoque ante contractam obligationem solvendi mercedem. Ratio dubitandi est, quia obligatio in qua fundatur hypotheca, est posterior, sicut in præcedente casu numeratio pecunie. Nihilominus affirmativè respondetur in lego 9. ff. eodem, ubi etiam ratio disparitatis indicatur. [Qui balneum ex Calendis proximis condixerat, pactus erat, ut homo Eros pignori locatori ef-

fer, donec mercedem solverentur. Idem autem Calendis Iulias eundem Erosam alii ob pecuniam creditam pignori dedit: Consulens, an adversus hunc creditorem petentem Erosam locatorem Prætor ræri deberet: respondit (Africanus) debere. NB. licet enim eo tempore homo pignori datus esset, quod nondum quidquam pro conductioe deberetur: quoniam tamen jam tunc in ea causa Eros esse cepisset, ut invito locatore jus pignoris in eo solvi non posset, potior enim eius causam habendam.]

Ex hac ratione mihi concludendum videtur, quod etiam in præcedente casu si se mutuatarius obligasset, de mutuo accipiendo post mensem, & alter etiam de eo dando pro pignore, tunc etiam esset futurus potior, quia etiam eo invito non posset jus pignoris alteri in eodem pignore solvi, ut consideranti patet, & ex sequenti resolutione confirmabitur.

917. QUÆRITUR 3. Si priori creditore res esset oppignorata sub conditione de futuro, deinde alteri eadem res oppignoraretur pure, quis eorum potior esset? & distinguendo inter conditionem potestativam, hoc est, quæ sita sit in potestate debitoris, & inter casualem. In prior casu potior erit secundus creditor præferendus, in priorè verò prior. Ita habetur l. 9. §. 1. ff. eod. [Amplius etiam sub conditione creditorem tuendum putabat (Africanus) adversus eum, cui postea quidquam deberi cepit: NB. Si modo non ea conditio sit, quæ invito debitori impleri non possit.] Vt cum hac lege coheret legis 11. §. primus, intelligendus est (quamvis id non exprimitur) de conditione casuali. [Videamus (inquit Gajus) an idem dicendum sit, (quod prius dictum erat, & paulo ante relatum) si sub conditione stipulatione factâ hypotheca data sit: quæ pendente alius creditur pure, & accipit eandem hypothecam: tunc deinde prioris stipulationis existat conditio, ut potior sit, qui postea creditur? Sed vereor, num hic aliud dicendum sit: cum enim semel conditio existit, perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset: quod & melius est.] Sed cur perinde esset: nempe (ut ex lege 9. relatum est) quia in ea causâ pignus esse cepit, ut invito creditore jus pignoris solvi non posset.

918. QUÆRITUR 4. Si debitum est absolute contractum, sed hypotheca sub conditione constituta, an possit creditor agere hypothecariæ ante positam conditionem, debito non soluto. vel si agere non possit, quomodo ipsi à iure sit consultum. Ad hoc habetur responsio in l. 13. §. 1. ff. de pignori. ibi. [Sed si præsens sit debitum, hypotheca verò sub conditione, & agatur ante conditionem hypothecariæ: verum quidem est, pecuniam solutam non esse, sed auferri hypothecam iniquum est. Ideoque arbitrio iudicis cautiones interponende sunt, si conditio existit.]

existit nec pecunia solvatur, restitui hypothecam, si in rerum natura sit.] Itaque cautionem exigere potest, si forte debitor suspectus esset de fuga, aut ad inopiam vergat, ut solvendo non sit. Et hæc circa primam tituli partem. Ad secundum accedendo

919. DICENDUM est 1. Generalis hypotheca uni facta, non impedit, quin & alteri fiat, imò etiam cum speciali hypothecâ alteri facta consistit, adeoque posterior potest in scio priorè constitui. Ita communis, & habet quotidiana praxis: quæ omnino necessaria est ad humanam commercia.

920. DICENDUM 2. Si eadem res in specie sufficiens est pro duorum debitis exsolvendis, potest eadem res in specie & hypothecâ speciali duobus obligari illis inconsultis. Ratio est, quia hoc modo neuter creditor læditur: & habet etiam praxis quotidiana, quæ scimus esse eundem fundum pluribus creditoribus obligari: quod textus huc faciens in lege 36. §. 1. in fine ff. de pign. act. ibi. [Planè si ea res ampla est, cessare non solum stellionatus crimen, sed etiam pignoratitiam, & de dolo actionem: quasi in nullo, capus sit, qui pignori secundo loco accipit.] ubi dum dicitur, cessare pignoratitiam, est intelligendum, de personalia, quæ solet agi, ut pignus in alia re æque bona constituatur.

921. DICENDUM 3. Si non sufficiat utrique debito disolvendo, tunc priorè creditore consentiente, & posteriore etiam consensio, adhuc potest utrique obligari. Ratio est, quia volenti & consentienti non fit iniuria. & certi juris est, quod possit quis dare pignus solum pro parte debiti.

DUBITATUR tamen in casu quo prior creditor consentit, ut res alteri obligetur, sciens non sufficere utrique solvendo, an consentiat hoc ipso, ut alter sibi in concursu debitorum præferatur. P. Molina n. 3. d. 332. responder, quod nisi prior creditor ita consentiat, ut velit alterum præferri in pignore aut hypotheca, prior creditor præferatur posteriori, ac proinde res illa non maneat obligata posteriori creditore nisi quoad incrementum (credo velle dicere, quoad illud quo plus valet, quam debuit creditoris) & simul integrè casu quo priori creditore aliunde fuerit satisfactum. Ad quod probandum citat legis 15. §. ultimam ff. de pignori. Verum hic textus non loquitur de casu quo prior creditor consentit, ut secundo oppignoretur eadem res. Sic habet. [Qui res suas jam obligaverint, & alii secundo obligant creditore, ut effugiant periculum quod solent pati, qui sæpius easdem res obligant, prædicere solent: alii nulli rem obligatam esse, quam forte Lucio Titio, ut in id quod excedit priorè obligationem, res sit obligata.] ut sit pignori hypothecæ id quod plus est, aut solum: cum primo debito liberata res fuerit. de quo videndum est, utrum hoc ita se habeat. si &

conveniat, an & simpliciter conventit de eo quod excedit, ut sit hypothecæ? & solida res in se conventioni videtur, cum à primo creditore fuerit liberata: an adhuc pars? sed illud magis est, quod prius diximus.] Sensus est, quod in tali conventionè res sit quidem obligata simpliciter secundo creditore, quoad excessum valoris supra primum debitum, atamen simul etiam in solidum, sub conditione, si prior creditor aliunde satisfiat. Ex quo bene colligitur, quod si prior creditor non aliter consentit in secundo hypothecam, quam sensu jam dicto, prælationem non amittat.

Verum manet controversum apud Iureconsultos, si simpliciter & sine hac limitatione consentit in secundo hypothecam, sciens non sufficere ad utrumque debitum, an hoc ipso consentit renuntiare prioritati & prælationi, quem casum P. Molina non resolvit.

922. Aliqui dicunt, talem creditorem censeri renuntiare simpliciter hypothecæ: & habet hæc sententia pro se textum in lege 12. ff. quibus modis pig. vel hypot. solvitur. [Paulus respondit, Sempronium, antiquiorum creditorem consentiam, cum debitor eandem rem tertio creditore obligaret, sui suum pignoris remississe videri, non etiam renuntium in locum ejus successisse, & ideo medii creditoris causam meliorem effectam.] Econtra alii docent, quod tali renuntiatione solum voluerit esse posterior illo, cui permittit pignus obligari, de cætero voluerit sui pignoris respectu aliorum posteriorum creditorum salvum habere.

Paulo distinctius loquitur Salycetus, quem sequuntur post Bartolum Neguzantius, Hunnius & alii: Itaque distinguit hoc modo. Si creditor consentit in certam aliquam personam, tunc censendus est sibi quoad illam personam duntaxat præjudicare voluisse, quia huic soli favere volebat, & per vulgaria, conventio duorum tertio nec prædesse nec nocere debet. Sin verò non in certam & determinatam personam consentit, sed generaliter debitori permittit rem sibi pignoratam alii obligare, tunc volens isti auctores, pignus quoad omnes amitti.

Hæc sententia rationi est valde consonanea, neque illi refragatur lex 12. pro secunda sententia allata: ea enim est intelligenda in terminis habilibus, quod nempe jus remiserit creditor, in quantum hoc est in favorem tertii creditoris, qui tamen in primi creditoris locum eare nus non succedit, quatenus non acquirit jus prælationis respectu aliorum creditorum, quibus primus creditor præferendus est, & jus prælationis respectu illorum retinet.

924. DICENDUM 4. Si debitor eandem rem insufficientem duobus creditoribus in scitis obliget, habet secundus creditor actionem hypothecariam personalem, ut alia res sufficiens pignori subiciatur. Insuper agere potest de crimine



mine *stellionatus* (quod committitur, quando aliquid per calliditatem agit in fraudem alterius, arbitrio iudicis plectendum, nec habet crimen illud in iure nomen speciale, tunc enim generali nomine vocatur *stellionatus*) nisi debitor solvendo alterutri creditori praeveniat. Habentur haec in l. 16. §. 1. ff. de pign. act. Contrariam pignoratitiam creditori actionem competere certum est: proinde si rem alienam, vel alii pignoratam, vel in publicum obligatam dedit, tenebitur: quamvis & *stellionatus* crimen committat. ] Et subjungitur, quod ignorantia excuset quidem à crimine, sed non à contraria actione, nisi creditor (sciens accipiat rem alteri obligatam.

## CONTROVERSIA VI.

## De Usu, &amp; Fructibus Pignoris traditi.

## SUMMARIUM.

SI creditor invito debitore usum pignoris, factum committit. 925.

An creditor teneatur ad fructus etiam illos, quos sua culpa non percipit. 926.

Quid iuris in domo oppignorata quoad pensionem ex inhabitatione percipiendam. 927.

925. Certum est, quod si vel expressè vel prudenter praesumptè voluntate debitoris, creditor utatur pignore sibi tradito, v. g. libris, domesticâ suppellectile & similibus, nec peccet, nec teneatur ad ullam restitutionem, dummodo ille consensus sit sufficienter liber, & voluntarius, & non secundum quid involuntarius (ut loquuntur Theologi) quemadmodum in voluntariè solvuntur usurae, tunc enim creditor hoc modo extorquendo usum pretio aestimabilem committeret usuram, & teneatur ad aestimationem solvendam, vel in debito compensandam. Quod si iusicio & invito debitore creditor utatur pignore, etiam factum committit, & actione furti conveniri potest secundum aestimationem usum, si non pignoris, ut cum glossa in l. qui iumenta ff. de furtis, tradunt Bartolus, Lopez & Molina, & est textus apertus in §. c. Inst. de oblig. qua ex delicto. [ Furtum autem sit, non solum cum quis interceptiendi causâ rem alienam amoveret, sed generaliter cum quis alienam rem invito domino contrectat. Itaque si creditor pignore, si ve is apud quem res deposita est, eâ re utatur, si ve is qui rem utendam accepit, in alium usum eam transferat, quam cuius gratiâ ei data est, furtum committit. ]

De fructibus etiam dicendum est, eos quidem esse etiam oppignoratos unâ cum re, ut jam

suprà dictum, si tamen eos creditor vendidit, vel in suum usum converterit, eo quod servati non poterant, teneatur creditorem pretium vel realiter vel æquivalenter restituere debitori, v. g. computando in expensas, vel in partem debiti. In d. fructus non intelliguntur (formaliter & civiliter loquendo) nisi deductis expensis. Colliguntur hæc ex lego 1. C. de pign. act. [ Ex pignore percepti fructus imputantur in debitum, qui si sufficiunt ad totum debitum, solvitur actio, & redditur pignus, si debitum excedunt, qui supererunt, redduntur. ] & lego seq. [ Quod ex operis ancillæ, vel ex pensionibus domus, quam pignori detineri dicitur, perceptum est, debiti quantitatem relebabit. ]

926. QUÆRITUR 1. An creditor non solum (dicto modo) teneatur ad fructus actus perceptos, sed etiam ad illos quos percipere debuisse, sed sua culpa, quam vi huius contractus cavere debet (quamvis illa sit, si dicitur) non percipit? Negat Hostiensis.

Communis tamen & vera sententia affirmat, per textus apertos. l. 2. C. de pign. act. [ Creditor, qui praedium pignori annexum detinuit, fructus quos percipit, vel percipere debuit, in rationem exonerandi debiti computare necesse habet. ] Item l. 2. de pign. ibi. [ Hoc tunc mancipiorum operis, quas creditor percipit, vel percipere potuit, in usuras computat, & post in sortem. ] Ratio est manifesta. Fructus sunt etiam oppignorati, & constituti pignus ad aquatè sumptum: ergo circa fructus ad eandem culpam praestandam teneatur, ad quam circa ipsum corpus: ergo si ex culpa non percipit, suo damno cedet.

Hostiensis fundamentum leve est, quod sumitur ex eo, quod bonæ fidei possessor non teneatur ad fructus, quos percipere potuit. Respondetur, hoc procedere de possessore bonæ fidei, qui putat rem esse suam & sibi fructificari; unde sit, ut nulli sit obligatus ad aliquam culpam praestandam.

927. Hinc deducitur, quod si domus sit oppignorata quæ locari potest, & creditor nec ipse velit habitare pro debita pensione, nec alium conductorem adhibere, cum possit, teneatur ob culpam ad pensionem. Quod si tamen nullum conductorem reperire potuit, tunc possit ipse illam inhabitare, quin ad pensionem teneatur, si inde nullum commodum reportet, sed quod nullam domum conducere voluerit, sed ideo inhabitat, quia ædibus utile est, non relinquit vacuas, & ideo potius beneficium praestat. Quod si fuisset conductor usque ad ædes, sed minus pretiosas, ad illam solummodo pensionem compensandam teneatur, quam solvisset pro ædibus minus pretiosis. Addit P. Molina limitationem, nisi libenter etiam tam pretiosas ædes conduxisset, si earum occasio oblata fuisset: & meritò, nam tunc committeret,

Contr. VII. De Pacto Antichreseos, & Commissorio. 297

teret culpam, si dædes oppignoratas non conduceret, quia posset habere conductorem seipsum.

## CONTROVERSIA VII.

## De Pacto Antichreseos, &amp; Commissorio.

## SUMMARIUM.

DEFINITIO Pacti Antichreseos. 928.

Dammatur Iure Canonico. eod.

An licitum sit pactum, ut debito non soluto pignus habeatur in solutum. 929.

An subintelligenda clausula: ad iustum pretium. 930.

An valeat pactum commissorium ex intervallo adjectum. 931.

An pactum commissorium possit iuramento confirmari. 932.

928. PACTUM Antichreseos (de quo aliquid dixi in tract. de Feudis, ubi ab omnibus admititur, sicut & in genere obligata in dotis numeranda securitatem per c. 16. de iuris.) definiti solent: [ Pactum pignoris contractui adjectum, quod inter creditorem & debitorem convenit, ut, donec pecunia solvatur, creditor ex fundo pignorato in vicem usurarum fruges percipiat. ]

Hoc Pactum etsi Iure Civili non improbetur, quasi creditor licet ex pacto fructus ex re oppignorata perceptos lucrari, ita ut illos non teneatur imputare in sortem, sed ut propter incertum futurum eventum & pretium cedant loco usurarum, nisi tamen aliquo titulo, quos suo loco retulimus, agentes de usuris, excusetur, Iure Canonico tanquam usurariam, etsi non expressis verbis, implicite tamen damnatur, dum jubentur fructus in sortem computari, & possessiones oppignoratae restitui. cap. 6. de pign. ibi. [ Nos igitur Innocent. III. ] attendentes, quod in talibus perceptio fructuum in solutione sortis accedat, cum secundum Canonicas Sanctiones fructus restitui, & in sortem debeant computari; considerantes etiam, quod possessiones ipsæ jam extenuantur penitus totum onus, & debitum annullant, ipsas tibi restituendas esse decernimus. ] Ratio est clara, quia usura est, quidquid ultra sortem accipitur, (intelligendo sortis nomine etiam lucrum cessans, & damnum emergens, & quidquid à creditore Iure potest aestimari, & actione pignoratitia peti) atqui si fructus retinerentur ex pacto præcisè titulo incerti eventus fructuum & pretii, quidquid acciperetur, & quicunque fructus essent, ultra sortem essent: ergo pactum de illis percipiendis usurarium esset. Constant hæc omnia ex disceptatis pro-

Christ. Haun. de Just. Tom. IV.

lixè in materia Usurarum. Et hæc de Pacto Antichreseos.

De Pacto Commissorio adum est in Contractu Emptionis, in quo licitum est, si adjectur contractui, ut casu quo emptor pretium intra certum tempus non solverit, emptio sit nulla.

929. QUÆRITUR in presenti, an Contractui pignoris apponi possit pactum huiusmodi, ut hoc ipso quod intra certum tempus debitum non solvatur, pignus transeat in dominium creditoris in solutum, vel tanquam venditum. Ad hoc quaesitum responsum est in tract. de usuris §. 10. & nunc iterum §. hoc pactum utroque Iure & merito reprobatur & irritum esse, siquidem pignus plus valet quam debitum, & nisi pactum solutum modo esset, ut pignus esset venditum iusto pretio, adeoque cum obligatione solvendi excelsus valoris supra debitum. Iure Civili improbatum lege 3. C. de Pactis pignorum & de lege commiss. rescind. [ Quoniam inter alias captiones præcipue commissoriae pignorum legis creta asperitas, placet infirmari eam, & imposterum omnem ejus memoriam aboleri. Si quis igitur tali contractu laborat, hæc sanatione respicit. ] Exceptio autem in responsione adjecta habetur lege 16. §. 9. ff. de pign. ibi. Possit ita fieri pignus dato hypothecæ: ut si intra certum tempus non sit soluta pecunia, Iure emptio possideas rem iusto pretio aestimandam: hoc enim casu videtur quoddammodo conditionalis esse venditio.

Iure Canonico damnatur in cap. 7. de pign. vel potius supponitur esse improbatum à legibus Civilibus, & hæc improbatio approbatur in dicto cap. illis verbis: Cum igitur pactum legis commissoriae sit in pign. improbatum.

930. DUBITATUR tamen 1. An si non esset expressum, quod iusto pretio sit venditum, sed præcisè diceretur, ut esset in solutum: an, inquam, subintelligenda esset limitatio ad iustum pretium. Afirmat Tiracuellus, & eum referens VVidman. Ego verò contrarium dicendum existimo. Nam hæc ratio eludetur penitus lex irritans hoc pactum: quia nunquam forte solet fieri aliis terminis, quam, ut pignus sit creditoris in solutum, hoc est, loco debiti. atqui secundum hos AA. semper potest subintelligi: pro iusto pretio. Illud tamen admittendum est cum communi DD. post Covarr. quod quando diceretur in pacto: ut sit venditum: subintelligeretur: iusto pretio. hoc est, boni viri arbitrio aestimando. Et hæc viâ potest defendi, quod habetur in lege fin. pr. ff. de contrah. empr. ubi sustinetur pactum commissorium in pignore interpositum inter debitorem & fideiussorem, etsi non fuerit adjecta mentio iusti pretii. [ Titius cum marmos acciperet tot aureos sub usuris, dedit pignori si ve hypothecæ prædia, & fideiussorem Lucium, cui promisit: intra triennium proximum se cum liberaturum: quod si id non fecit die supra

pp

scripta



Scripta, & solvitur debitorum fidei iussor creditori, iussit prædia empti esse qua creditoribus obligaverat. quæro, cum non sit liberatus Lucius fidei iussor à Titio, an si solvitur creditori, empti haberet supra scripta prædia. Respondit (Savola) si non ut in causam obligationis, sed ut empti habeat, sub conditione emptio facta est, & contractam esse obligationem.]

931. **DUBITATUR** 2. An valeat pactum commissorium non quidem statim ipsi contractui pignoris adjectum, sed ex intervallo. Affirmant Bartolus, Panormitanus, Neguzantius, quos sequitur Hunnius.

Negativa tamen sententia verior est, quam pluribus relatis sequitur Harpprecht n. 222. Probatur, quia textus a latini improbant hoc pactum sine huiusmodi exceptione.

Obijciunt adversarii legem 34. ff. de pignor. actione, ad quam tamen est expedita responsio, casum illius legis esse longe diversum, nec loqui legem de pacto commissorio ex intervallo adjecto, sed de actuali venditione pro debito post moram jam à debitore contractam. Lex ita habet. [Titius cum credidisset pecuniam Sempronio, & ob eam pignus accepisset; futurumque esset, ut distraheret eum creditor, quia NB. pecunia non solveteret, petijt à creditore, ut fundum certo pretio emptum haberet: & cum imperasset, Epistola, quæ se vendidisse fundum creditori significaret, emisit: quæro an hanc venditionem debitor revocare possit, offerendo sortem & usuras que debentur. Marcellus respondit, secundum ea que proposita erant, revocare non posse.]

932. **QUÆRITUR** 3. An pactum commissorium possit juramento confirmari eo modo quo alii contractus dicuntur juramento confirmari. Affirmat Fa. bincas, Buchovius, V. Vidman & alii. Alii longe plures negant. Vtrique parti aliquid tribuendum est, & forte plus non intendunt. Absolutè negandum est, contractum firmari: nam illi soli contractus firmari possunt, qui ex natura rei non sunt illiciti, nec turpitudinem includunt, aut iniustitiam: atqui pactum commissorium eo modo quo reprobatum, includit usuram illicitam. Ergo hoc sensu confirmari non potest. Et hoc volunt AA. secunda sententia.

Prima sententia hoc solum concedi potest, quod debitor possit se juramento obligare ad non repetendum pignus. hoc enim absque ulla iniquitate aut saluti dispendio servare potest; per hoc tamen creditor nullum lus acquirat, nec in conscientia liberatur ab onere restituendi excessum supra debitum, sicut Usurarius tenetur restituere usuras acceptas.



## CONTRVERSIA VIII.

### De Culpa à Creditore præstanda.

#### SUMMARIUM.

**AD** quam culpam præstandam teneatur creditor.

Intellectus legis 13. cum seq. ff. de pig. act. 934. & seq.

Quid sit pignus perent ex usu creditoris cum præsumpta facultate. 936.

Defenditur sententia P. Molina, quod pereat creditore. 937.

Quid sit in creditore culpa præcessit, unde natus est casus fortuitus. 938.

Quid sit Creditor propria auctoritate pignus occupavit, & perit. 939.

Quid sit in mora restituendi. eod.

Creditor in pignore pratorio vel Iudiciali tenetur solum ex dolo & lata culpa. 940.

**U**m Creditor pignus detinet, cura illius ad eundem spectat, tanquam res ejus custodiæ subiecta. Hinc

**QUÆRITUR** 1. Ad quam culpam præstandam teneatur.

933. **DICENDUM** est, loquendo de pignore conventionali, creditorem teneri solum ex culpa lata & levi, non autem levissima, multò minus ad casum fortuitum. Deducitur ex regula generali, quod in illis contractibus, qui utriusque contrahentium utilitatem spectant, culpa solummodo levis cavenda sit. Et hoc sensu debet intelligi quod habetur §. 4. Inst. quib. mod. re. [Sed quia pignus utriusque gratia datur, & debitoris, quò magis pecunia ei credatur, & debitoris, quò magis ei in tuto sit creditum, placuit sufficere, si ad eam rem custodiendam exactam diligentiam adhibeat, quam si præsterit, & aliquo casu fortuito rem amiserit, secutum esse, nec impediri creditum ptere. ] Ubi culpa levissima a videtur sub casu fortuito (à quo vix differt) comprehensa, alioquin dicendum esset, quòd etiam culpa levissima præstanda esset, quòd non cohereret cum regula in ipso §. adducta.

934. Illud miror, quòd P. Molina pro hac conclusione adducat legem 13. in fine, cum lege sequenti. ff. de pignor. acti. Quandoquidem in hac lege potius videatur asserti, quòd Creditor teneatur ex culpa levissima, requirit enim eandem diligentiam quam in Commodatario, & sic habet. [ Venit autem in hac actione & dolo, & culpa ut in commodato: venit & custodia: vis major non venit. ] Ecce! solum casum fortuitum excipit, in reliquo æquiparatur Commodatario.

Ob huius ergo textus difficultatem variæ interpretationes excogitatae sunt: aucterique difficultas ex lege 19. C. de pignoris. quæ sic habet.

## Contr. VIII. De Culpa à Creditore præstanda.

bet. [ Sicut vim majorem pignorum creditor præstare non habet necesse, ita dolum & culpam, sed & NB. custodiam exhibere cogitur. ] Quando autem in aliis contractibus extra depositum custodia requiritur, exactissima diligentia denotatur, ut ex variis textibus superius allatis liquet, & hic notat Hunnius, sed ad ipsam difficultatem aliud non respondet, quam referendo divinatorias responsiones Boceri & Donelli. Prior enim dicit, sicut etiam Harpprecht & Cuiacius, textus esse intelligendum de casu, quo pignus in solius creditoris commodum datur: qui casus erit prope Metaphysicus, cum tamen lex loquatur generaliter, & utique de casibus ordinariis. Donellus ait, per Custodiam non intelligi nisi illam diligentiam que opponitur culpe levi. Sed per hanc respondentem non solvitur difficultas, proveniens ex comparatione cum Commodatario.

935. Aliter ergo ad difficultatem respondeo, comparationem cum commodatario institui, salva semper regula generali, desumpta ex commo & utilitate contrahentium. Itaque creditor tenetur ad illam diligentiam ad quam tenetur commodatarius, quando contractus commodatarii respicit utilitatem & commodum utriusque contrahentis: atqui tunc solum tenetur ad culpam levem, ut in contractu commodatarii dictum est: ergo creditor etiam solum tenetur ad culpam levem quando utriusque commo dedit contractus. Quando autem dedit commo solius creditoris, v. g. quia etiam absq; pignore credidisset, sed debitor ultro offert pignus, tunc tenetur ad diligentiam oppositam culpe levissime, sicut commodatarius, quando contractus ejus solius utilitatem spectat. Et hoc modo puro comparationem à legibus institutam esse, quandoquidem Iura de Commodato valde accurate has obligationes distinguunt, ut vide-re licet in textibus ibi adductis.

936. **QUÆRITUR** 2. Si creditor bonâ fide arbitretur, debitorem esse contentum, ut utatur pignore (esto à parte rei fortè sit in-virus debitor) & occasione talis usus periret pignus, non similiter periturum apud debitorem, an pignus periret creditori, an debitori. P. Molina d. 935. n. 10. resolvit, quòd periret creditori, & remittit lectorem ad disp. 297. ubi egit de commodatario similiter utente re commodatâ, aitque hæc esse creditori, locatori & commodatario communia.

Nihilominus non deest ratio dubitandi. Nam bona fides excusat in conscientia, ut non peccet creditor: ergo non videtur ad illum spectare interitus rei, qui videtur planè esse fortuitus.

937. Adhuc tamen doctrina P. Molina tenenda videtur. Ratio est, quia usus rei oppignorata non est illi permittus. Ergo si utatur illare ex præsumpta voluntate, debet uti sub hac

tacita conditione: Si tamen revera dominus sit in-ditus, volo uti meo periculo. Quia meritò debet supponere, quòd dominus pignoris non aliter sit contentus, ut pignore utatur, quam, ut utatur suo periculo.

Quòd casus fortuitus ad debitorem spectet, constat ex plurimis legibus §. 4. l. quib. mod. re. jam relata. clarissime verò lege 6. ubi specialiter illud advertitur, quòd adhuc debitum peti possit. [Quæ fortuitis casibus accidunt, cum prævideri non potuerit (in quibus etiam aggressura latronum est) nullo bonæ fidei iudicio præstantur: & ideo creditor pignora, quæ huiusmodi casu interierint, præstare non compellitur: nec NB. à petitione debiti submovetur. ] Hac occasione,

938. **QUÆRITUR** 3. Si ex parte creditoris aliqua culpa præcessit, quæ causam præbuit casui fortuito, v. g. rixas incepti: materias igni concipiendò obnoxias incaute tractavit, unde interitus rei oppignoratae vel injuriæ inimici, vel incendio interitus secutus est, an tunc ad debitorem spectet. Respondent communiter post glossam in l. 7. C. eod. affirmative. Ratio est, quia jam radicaliter & originaliter ex culpa procedit damnum. Hæc tamen ego limitandum existimo, ut tunc solum procedat, quando culpa ejusmodi est, ac per se loquendo talis casus fortuitus cum illa soleat esse connexus, (ut in secundo exemplo contingit) & ideo potest prævideri: scilicet, si prorsus per accidens fiat, nec soleat per se loquendo talis interitus ex illa culpa contingere, adeoque nec possit prudenter timeri aut prævideri, ut in exemplo primo de rixa contingit. quis enim dicat, condemnandum creditorem tanquam ex culpa, si fortè famulum asperius quam decebat, corripuit, & famulus ex ira domum incendit?

939. Huc etiam revocari posse videtur, si creditor pignus propria auctoritate, absque facultate à debitore accepta, occupet, & deinde casu fortuito pereat, non eodem modo apud debitorem periturum. Exemplum aptissimum habetur in l. 30. de pignor. acti. [Qui ratiario crediderat, cum ad diem pecunia non solveteret, ratem in flumine sua auctoritate detinuit: postea flumen crevit, & ratem abstulit: Si invito ratiario retinisset, ejus periculo ratem fuisse respondit (Lulianus.)

Idem dicendum, si quidem pignus à debitore accepisset, sed in mora restituendi fuisset, hæc enim mora culpabilis est, & suo auctori nocere debet, perinde enim est in effectu, ac si pignus sua auctoritate abstulisset: nam qui rem alienam sine jure retinet, continuo censetur auferre, ut dictum est tract. 2. cum explicarem præceptum restituendi, an sit affirmativum vel negativum. Et hæc tenentur de Pignore Conventionali. Nunc



940. **DICENDUM 2.** Creditor in pignore pratorio vel judiciali tenetur solum ex dolo & culpa lata (quæ dolo comparatur, & ejus nomine sæpe venit) l. 9. §. 5. ff. de rebus auct. jud. possidens. [Est præterea quæ situm: si deteriora prædicia facta fuerint sine dolo creditoris, vel jura eorum amissa, vel ædificia diruta, vel exusta: ita familia pecorumque acta cura non sit, aut possessio alii tradita, sine dolo tamen malo, an teneatur? & apparet tum non teneri, quia dolo malo caret: eritque NB. melior ejus conditio, quam in pignore creditoris, qui non tantum dolum malum, verum culpam quoque debet.]

### CONTROVERSIA IX.

Quanam Actiones competant ex Contractu Pignoris & Hypothecæ.

#### SUMMARY.

Quando, & ad quid detur debitori actio pignoratitia personalis directa. 941.

Si aliud debitum supervenerit, an pignus possit retineri donec solvatur. 942.

Quid juris, si solutio facienda heredibus ereditoris, nec tamen omnibus facta. 943.

Ad quid competat creditoris actio pignoratitia contraria personalis. 944.

Serviana actio competit Locatori prædii rustici: ejus definitio. 945.

Quasi Serviana competit cujusvis creditoris. eod.

Quid probandum sit auctori in hac actione. 946.

Principalis debitor prius actione personali conveniendus. 947.

Actione hypothecaria conveniuntur heredes singuli in solidum, & in hoc differit à personali pignoratitia. 948.

941. **DICENDUM 1.** Debito integrè soluto vel oblato, consignato & deposito, unà cum usuris (si quidem etiam pro his fuit res oppignorata) nisi aliud debitum intervenierit, datur debitori actio pignoratitia personalis directa, quæ agit contra creditorem, vel heredes ejus, ut pignus integrum unà cum fructibus restituatur, & si ex culpa deterior reddidit, danum reparat, nisi in debito fuerit compensatum: quod si interierit ex culpa, tunc agit ad restituendum excessum valoris ultra debitum. Colliguntur hæc tum ex dictis, tum ex l. xi. c. de pignor. act. [Pignoris causa res obligatas, soluto debito restitui debere, pignoratitia actionis natura declarat. & lege sequente. Quomodo fructuum, quos creditor ex rebus obligatis accepit, habità ratione, & ac re-

siduo debito soluto, vel si per creditorem factum fuerit, quo minus solveretur, oblato & consignato & deposito, pignora, quæ in eadem causa ducunt, restituitur debitori, nullo spatio longi temporis defenditur.]

Dixi 1. unà cum usuris. Nam si pro his etiam pignus obligatum est, illis non solutis non habet locum actio pignoratitia. l. 11. §. 3. ff. eod. ibi. [Sive autem usuræ in stipulatione deductæ sint, sive non, si tamen pignus & in eas obligatum fuit, quamdiu quid ex his debetur, pignoratitia cessabit.] Hoc tamen intelligendum est de usuris licitis. Er sanè in praxi videtur semper pignus pro his obligatum, quæ usuræ licitæ evadunt pars fortis seu debita adæquatè sumpti.

942. Dixi 2. Nisi aliud debitum intervenierit. tunc enim, si supervenerit, etiam non fuerit res pro hoc debito oppignorata, potest tamen retineri pignus donec solvatur. De hoc est titulus in Codice. Etiam ob chyrographarium pecun. pig. retineri. ibi. [Si in possessione fueris constitutus, nisi ea quoque pecunia tibi à debitor reddatur vel offeratur, quæ sine pignore debetur, eam restituere propter exceptionem doli mali non cogeris. Iure enim contentis, debitores eam solam pecuniam, cujus nomine ea pignora obligaverunt, offerentes audiri non oportere, nisi pro illa etiam satisfecerint, quam mutuan simpliciter acceperunt.] Quæ ratio non procedit in usuris, si pro his non est pignus expressè obligatum, quia illa summa non est mutuo accepta. Procedit tamen illa ratio etiam in mutuo accepto ante pignoris traditionem, ut consideranti patet: dolo enim agit, qui vultolvere debitum habens pignus constitutum, & non aliud.

Dices. Ergo si Petrus debitor haberet duos creditores, unum hypothecarium, alium solum chyrographarium, si solveret integrè priori, posset nihilominus retinere pignus, donec etiam chyrographario solveret. R. Negando paritatem. Disparitas bene assignatur in eadem lege verbis sequentibus: [Quod in secundo creditore locum non habet: nec enim necessitas ei imponitur, chyrographarium etiam debitum priori creditori offerre.] Quasi diceret: non interesse creditori hypothecarii, an solvatur chyrographarius necne. Sicut ipsius interest, omne debitum solvi.

943. Quæres. quid juris sit, si solutio faciendâ est heredibus creditoris, & unum quidem sua pars soluta est, non reliquis. R. Possè adhuc heredes pignus retinere timè etiam denique non factâ solutione vendere, possea tamen tenentur debitori restituere id quod coheredi solutum est. l. 11. §. 4. ff. eod. [Si creditor plures heredes exstiterint, & uni ex his pars ejus solvatur, non debent ceteri heredes creditoris injuriâ affici: sed possunt

possunt totum fundum vendere, oblato debitori eo, quod coheredi eorum solvit.] Ratio est, quia plures heredes considerantur insular unius, quia unum repræsentant, adeoque omnes habent æquale jus in pignore, quia omnes succedunt in jura defuncti.

944. **DICENDUM 2.** Creditori competit actio pignoratitia personalis contraria ad id consequendum, quod sibi pignoris nomine probabiliter abest, ut sunt impensæ; vel si deceptus sit, alieno supposito pignore, si ex pignore damnum passus sit, &c. l. 8. ff. de pign. act. [Si necessarias impensas fecerim in servum, aut in fundum, quem pignoris causâ acceperim, non tantum retentionem, sed etiam contrariam pignoratitiam actionem habeo.] Ex qua lege (sicut & pluribus aliis) constat, posse creditorem propter expensas necessarias retinere pignus, donec expensæ solvantur. Et licet leges loquantur tantum de expensis necessariis, hoc ipsum tamen extendit P. Molina cum glossâ & aliis etiam ad expensas utiles, dummodo ex non sint excessivæ, & quas debitor ob suam inopiam fortè nollet fieri, aut ex alia rationabili causa, quo casu pignus quidem reddendum esset, soluto principali debito, sed successu temporis easolvere reneatur debitor ex fructu aut commodis pignoris.

945. **DICENDUM 3.** Præter hanc actionem pignoratitiam contrariam, & personalem competit Creditori Locatori prædii rustici actio realis pratoria à Servio prætorè introducta, & in de Serviana dicta (de qua in contractu locationis conductio actum est) definiturque à Bocerò th. 69. [Vindicatio, quæ creditor res coloni in fundum conductum illatas vel in vectas, & expressè conventionem pro metcede locationis, & deterioratione fundi pignori suppositas, ab eorum quovis possessore petit.] De hac nihil restat in præsentî dicendum.

Ad hujus Servianæ similitudinem introducta est quasi Serviana, quæ cujusvis creditoris ratione pignoris in specie sumpti, quam ratione hypothecæ in specie sic dictæ conceditur, & definitur, Vindicatio quæ creditor persequitur res pignori sibi expressè vel tacitè obligatas. Porro in appellationibus hujus actionis nullus est scrupulus habendus: nam aliquando etiam vocatur simpliciter Serviana absque addito: Quasi. l. 3. pr. ff. de pignorib. l. 7. c. 10. eod. aliquando vocatur Stiles Serviana. l. 4. c. de Precario. l. 1. c. communia de legat. Aliquando & maxime propriè ac communis: Hypothecaria actio. §. 7. Inst. de act. Item Serviana & quasi Serviana (quæ etiam hypothecaria vocatur) ex ipsius prætoris jurisdictione substantiam capiunt.

946. **DICENDUM 4.** In hac actione hypothecaria duo sunt auctori probanda. Primum: quòd res, quam persequitur, fuerit sibi à

debitore oppignorata seu in hypothecam constituta. Secundum: quòd tempore contractus fuerit in bonis debitoris. Quòd autem postea defuerit esse in bonis debitoris nihil obstat, transsit enim cum onere suo. Vide in l. 2. ff. de pign. dicitur: [Si superatus sit debitor, qui rem suam vindicabat, quòd sum non probares, æquè servanda erit creditoris actio Serviana, probanti rem in bonis illius eo tempore quo pignus contrahabatur fuisse.]

947. **DICENDUM 5.** Priusquam Serviana, vel quasi Serviana seu hypothecaria actio instituat contra extraneum possessorem, actione personali conveniendus est & excutendus reus principalis seu debitor, ejusque heredes & fidejussores. Dixi: contra extraneum possessorem. Nam si ipse debitor possideat, hoc non est necesse. Ita habetur l. 24. cum auct. seq. c. de pignorib. lex ita habet. [Persecutione pignoris omnia debitoris actione personali convenire creditor utgeri non potest.] Et statim subiungitur Auct. [Hoc, si debitor possideat, alio verò possidente in hibetur hypothecaria, donec personaliter actum sit cum reo, & intercessore; si nec ex hypothecis debitoris satisfactis, tunc demum intercessoris hypothecæ si quæ sunt, pecuntur, quod jus & in hereditibus locum habet.] Primum ergo institueda est actio personalis (si pignus apud alium extraneum est) contra debitorem, ejusque heredes, & fidejussores. Quodsi hinc non litis fiat, actio hypothecaria locus est contra extraneum quemcumque possessorem: quodsi nec hinc obtineatur plena solutio, denique adversus res fidejussorum, si quæ fuerint hypothecæ subiectæ hic ordo præscribitur in cap. 2. Novelle 4. [Sed nec ad res debitorum quæ ab aliis detinentur, veniat prius antequam transeat viam super personalibus contra mandatores & fidejussores & sponsores, sicque ad res veniens principalis debitoris sive (id est: est) ab alio detineatur, & detinentes eas conveniens. Si neque inde habuerit satisfactionem, tunc veniat adversus res fidejussorum, & mandatorum, & sponsores &c. Contra principales tamen existentis apud eos res, sive personalibus sive hypothecariis mox sive ambabus uti voluerit, omnem ei damus licentiam.]

948. **DICENDUM 6.** Actione hypothecaria conveniuntur heredes singuli in solidum, & in hoc differit valde actio hypothecaria à personali pignoratitia: ut habetur l. 2. c. Si unus ex pluribus. [Actio quidem personalis inter heredes pro singulis portionibus quæ sita scinditur, pignoris autem jure multis obligatis rebus quas diversi possident; cum ejus vindicatio non personam obliget, sed rem sequatur: qui possident, tenentes non pro modo singularum rerum substantiæ conveniuntur, sed in solidum, ut vel totum debitum reddant, vel eo quod detinent, cedant.]



## CONTROVERSIA X.

## Quibus modis Pignoris obligatio dissolvatur.

## SUMMARIUM.

**D**issolvitur obligatio solutione, vel depositione debiti. 949.

Item si consentiente creditore alienetur res obligata. 950.

Item presumitur remissum pignus ultronem a ejusdem rei restitutione. 951.

Non presumitur tamen remissum ex sola taciturnitate creditoris. 952.

Si tamen alia circumstantia accedens, possit fundare presumptionem. 953.

Quid si res venderetur a fisco. eod.

Quid si consensit creditor in alienationem, sed hac non est secuta. 954.

An sufficiat consensus Procuratoris generalis. 955.

Quid si res per alienationem liberata redeat ad debitorem, cuius omnia bona sunt hypotheca creditoris consentienti: an reddat obligatio. 956.

Extinguitur obligatio pignoris novatione. 957.

Item interitus totalis rei etiam moralis. 958.

An possit debitor liberare pignus obligatione alterius rei aequae idoneae. 959.

An possit solo consensu dissolvi, si pignus traditum est. 960.

949. **D**ICENDUM 1. Hoc ipso quod debitor integrum debitum creditori exhibeat, vel eo recipere recusatante obsignet, & solemniter deponat, pignus aut hypotheca liberatur, ita ut creditor restituere teneatur, & actio- ne pignoratitia directa conveniri possit, sicut & rei vindicatione. l. 10. C. de pignor. act. [Nec creditores, nec qui his successerunt, ad versus debitorum pignori quondam res nexas perentes, reddita jure debiti quantitate, vel his non accipientibus oblata & consignata & deposita longi temporis praescriptione mutari possunt. Unde intelligit, quod si originem rei probare possis, adversario tenente vindicare dominium debes.] Idem habetur l. 3. C. de luit. pign. & aliis pluribus.

Non est autem necesse, ut solutio fiat ab ipso debitore, perinde est, si ab alio, etiam eo ignorante, fiat illius nomine seu loco. Inst. pr. quibus modis toll. obl. ibi. [Nec interest quis solvat, utrum ipse qui debet, an alius pro eo, liberatur enim & alio solvente, sive sciente sive ignorante debitore vel invito eo solutio fiat.] Et hic locum habet vulgare, quod ablato principali tollatur accessorium. Pari modo non est neces-

se, ut ipsi creditori immediate solvatur, satis est, si solvatur illi, qui ejus nomine potest solum accipere, qualis quandoque est creditor mei creditus, ut in exemplo quod habetur l. 11. §. 1. ff. de pign. act. [Solutam autem pecuniam accipendam non solum, si ipsi cui obligata res est, sed & si alii sit soluta voluntate ejus, vel ei ut haeres existit, vel procuratori ejus, vel servo pecuniis exigendis praeposito: unde si domum conduxeris, & eius partem mihi locaveris, egoque locatori tuo pensionem solvero, pignoratitia adversus te potero experiri. Nam Iulianus scribit, solvi ei posse.]

950. **D**ICENDUM 2. Si necdum pignore aut hypotheca per solutionem liberata debitor pignus aut hypothecam consentiente creditore alienet, censetur obligationem pignoratitiam creditor remissile, & sic res ad novum Dominium absque reali onere respectu consentientis creditoris transire, etsi cum onere transferat, si inficio illo alienetur, nisi postmodum venditionem ratam haberet. Semper tamen subintelligendo, nisi consensisset aut approbasset: salvo suo iure pignoris. l. 4. §. 1. ff. quib. mod. pig. [Si in venditione pignoris consenserit creditor, vel, ut hanc rem creditor permittet, vel donet, vel in dotem det, dicendum erit pignus liberari: nisi salva causa pignoris sui consensit. (C. paulo post) sed etsi non concesserit pignus venditari, firatam habuit venditionem, idem erit probandum.]

Hinc habetur, quod si duobus eadem res oppignorata est, & illi simul emanat a debitore, censentur sibi ius pignoris remissile, & ita resolvitur hic casus in l. 9. pr. ff. eod. [Titius Sempronio fundum pignori dedit, & eundem fundum postea Gaio Seio pignori dedit: atque ita idem Titius Sempronius & Gaio Seio fundum eundem in alium vendidit, quibus pignori dederat ante in solidum singulis: quare non venditione interposita ius pignoris extinguitur sit, ac per hoc ius solum emptionis apud ambos permanserit: Modestinus respondit, Dominium ad eos, de quibus queritur, emptionis iure pertinere, cum consensum mutuo venditioni dedisse proponantur, invicem pignoratitiam actionem eos non habere.]

951. **D**ICENDUM 3. Creditor restituendo pignus debitori, si non consistet, quod ad alium finem restituerit, censetur obligationem pignoris remissile, sed non hoc ipso debiti, nisi hoc ulterius exprimeret. Si tamen redderet debitori instrumentum seu Chirographum debiti cum pignore nexi, censetur utrumque remissile. Prima pars habetur l. 3. ff. de Pactis. [Postquam pignus vero debitori reddatur, si pecunia soluta non fuerit, debitum peti posse, dubium non est, nisi specialiter contrarium actum esse probetur.] Ratio est, quia pignus est accessorium, extincto autem accessorio non hoc ipso tolli-

tollitur principalis. Secunda pars habetur l. 7. C. de Remiss. pig. [Creditorum parui cui, sub obligatione fundi qui per Chirographum nexu pignori fuerat, jubentem eandem cautionem reddi, pignoris etiam ius remissile videri manifestum est.] Et ratio est ex opposito fundamento, quod sublato principali corrumpitur accessorium.

952. **D**ICENDUM 4. Sola alienationis scientia, imò praesentia & taciturnitas, non est sufficiens signum tacite remissionis, nec fundat iuris praesumptionem, nisi Fiscus venderet. l. 8. §. 1. ff. quib. mod. pign. [Non videtur autem consensisse creditor, si sciente eo debitor rem vendiderit; cum ideo passus est venire, quod sciebat, ubique pignus sibi durare.]

Quod si tamen venditionis tabulis subscripserit, neque ad subscribendum deceptus fuisset, tunc tacitus consensus praesumeretur, pignus remittere voluisse, ut in citata lege statim subiungitur. Quod tamen iterum limitandum est, nisi subscripserit merè ut testis, quod bene observavit glossa. ut testis, inquam, venditionis. nam si subscripserit ut testis, quod res illa nulli sit obligata, utique obligationem remissile dicitur esse: neque alleganti turpitudinem mendacii crederetur.

953. **D**ixi in Conclusionem 1. Sola praesentia & taciturnitas, nam ex a junctis aliis circumstantiis utique potest sufficere, v. g. si taceret, quando actus aliter valis non esset, nisi pignus cesseret. Causa habetur in lege 1. C. de remiss. pig. [Si te manumissum & in libertate moratum, sciente eà, cui pignoris nomine obligatus diceris, Praefidi probaveris, ex consensu creditricis remissam pignoris obligationem apparebit, & per hoc iure manumissum, nec ab haerede creditricis in servitium peti posse creditum est.] Idem est, si sciens taceat, & servum ordinari sacris permittat, alioquin censetur Episcopum velle decipere, qui cum non ordinaret, nisi manumissum. Idem esset, si sciens bona debitoris sub hasta vendi ad instantiam aliorum creditorum ipse non compareret. l. 6. C. eod. [Si eo tempore, quo praedium distrahebatur, programmate admoniti creditores cum praesentes essent, ius suum executi non sunt, possunt videri obligationem pignoris amissile.]

Dixi 2. Nisi Fiscus venderet. Nam in favorem Fisci censetur pignoris obligatio remissile. l. 8. C. eod. [Si hypothecas fisco distrahente creditores silentio tradiderunt negotium, palam est, etiam actionem amissile eos, quam in rem habebant, nam & fiscalis hasta fides facile convelli non debet.] Ubi ultimis verbis insinuat ratio. quia fiscus vendit illas res tanquam liberatas: ergo si non sunt liberatae, deberet creditor monere, ne a fisco emptor decipiatur, & minor fides fisco habetur, sique homines ab emendo a fisco retardentur.

954. **D**ICENDUM 5. Consensus creditoris in pignoris distractione, non tollit se solo obligationem pignoris, sed haec sublatio pendet a securata distractione, quae si non sequatur, vel si venditio v. g. ex alio capite sit nulla, manet obligatio pignoris. Ratio est, quia sub hac conditione videtur consensisse, si distrahatur. Habetur Conclusio in l. 4. §. 2. ff. quib. mod. pig. [Belle queritur, si forte venditio rei specialiter obligata non valeat, an nocere haec res creditori debeat, quod consentit: ut puta, si qua ratio iuris venditionem impedit. Dicendum est pignus valere.] Idem est, si in eum finem consentiret, ut ex pretio solveretur debitum: nam per hanc solutionem primum extingueretur pignoris nexu, quae si non sequeretur, possit creditor pignus apud emptorem, & quemcumque alium possessorem persequi. §. 6. eod. ibi. Nam si non venierit, non est satis ad repellendum creditorem, quod voluit venire.

955. **D**ICENDUM 6. Procurator generalis Creditoris nisi habeat speciale mandatum, vel cum libera, non potest suo consensu in alienationem tollere obligationem pignoris. l. 7. §. 1. eod. ibi. Ex dicendum est, non posse, nisi specialiter hoc eis mandatum est. & §. 2. subiungitur, quid iuris sit, si creditor det facultatem vendendi generali procuratori debitoris. Sed si cum debitoris procuratore convenit, ne sit res obligata, dicendum est, id debitori per doli exceptionem prodesse.

956. **D**ICENDUM 7. Creditor per consensum in alienationem pignoris adeo libi praedicit, ut, etiam si debitoris omnia bona tam praesentia quam futura sibi habeat obligata, in re tamen sic alienata non recuperet pignus, etiam si ad eundem debitorem ex alia causa diversa ejusdem rei dominium redierit, secus si ex eadem causa v. g. reverentiam. Quae Conclusio merito ab antiquis Iurisperitis in dubium vocata est, sed ab Imperatore Iustiniano firmata in l. 11. C. de remiss. pig. & sic habet. [Soli a providentia utimur etiam de pignoratibus vel hypothecis rerum, quae quibusdam creditoribus suppositae postea a debitoribus venduntur, vel alio modo transferuntur, creditore suum consensum contractui praebente: & quodam legitimo postea modo res ad priorem Dominum revertuntur. In hoc etenim casu diversa sententia a legum prudentibus habita sunt: quibusdam dicentibus, ius pignoris creditori renovari, propter verbum: *statuamur verum*, quod in generalibus hypothecis soliti ponitum est: aliis, penites extingui. Nobis autem visum est, eam qui semel consentit alienationi hypothecae, & hoc modo suum ius respuit, indignum esse, eandem rem, utpote ab initio ei suppositam vindicare, vel tenentem inquietare.]

Dixi in Conclusionem: *fiscus si ex eadem causa*, ex qua fuit alienatum: item, si ex causa connexa, v. g. quia fuit alienatum cum pacto de reorvendo, & deinde fuit redemptum: item, si fuit



fuit reddendum, vel resoluta venditio ob pactum legis commissoria, sicque res redeat ad pristinum Dominum, vigore illius contractus taliter celebrati, tunc enim unâ cum dominio redit pignoris obligatio: quia alienatio non fuit firma, & statim. Habetur l. 10. ff. eod. [Voluntate creditoris pignus debitor vendidit; & postea placuit, inter eum & emptorem, ut à venditione discederet, Ius pignorum salvum est creditori. Nam sicut debitori, ita & creditori pristinum Ius restituitur: neque omnimodo NB. Creditor pignus remittit, sed ita demum, si emptor rem retineat, nec reddat venditori.] Er hujus ratio optima redditur in §. ult. eod. Non enim quia dominium transferunt, ideo ab emptore Ius eius recipiunt, sed NB. in pristinam causam res redit resoluta venditione.

917. DICENDUM 8. Obligatio pignoris etiam extinguitur novatione, quâ ex conventionem vel aliud debitum priori subrogatur, vel alius debitor in eodem debito substituitur, nulla factâ mentione pignoratitiae obligationis. l. 11. §. 1. ff. de pignor. act. Novata autem debiti obligatio pignus perimit, nisi convenit, ut pignus repariatur. & l. 18. ff. de Novat. Novatione legitime factâ liberantur hypotheca & pignus: Iure non currunt.

918. DICENDUM 9. Obligatio pignoris expirat interitu totali rei oppignoratae, sicut, si ve interitus sit Physicus, sive moralis, qualis esse potest in re incorporali, v. g. in usufructu. l. 8. pr. ff. quib. mod. pig. Sicut ve corporali extrinsecâ, ita & usufructu extrinsecâ pignus, hypothecae perit.

Dixi: interitu totali: nam si v. g. domus comburatur, aerea tamen manet obligata, & quidquid postmodum illi inaedificatur. l. 21. ff. de pignor. act. Domo pignori datâ, & aerea eius tenebitur, est in partem ejus; & contra Ius soli sequetur & diffinitio. Idque melius declaratur in l. 29. ff. de pig. §. 2. [Domo pignori data extrinsecâ est, eamque aerea emit Lucius Titius, & extruxit. quantum est de Iure pignoris. Paulus respondit, pignoris perfectionem perseverare, & ideo Ius soli superscitem fecutam videri, id est cum Iure pignoris. Sed NB. bonae fidei possessores non aliter cogendos creditoribus adificium restituere, quam sumptus in extruptione erogatos, quantum pretiosior res facta est, recipere.] Etenim universum mutatio rei hypothecae non tollit pignoris obligationem, ut specificatur in l. 16. §. 2. ff. eod. [Si res hypothecae data postea mutata fuerit, & quæ hypothecaria actio competit: veluti de domo data hypothecae, & hortio facta. Item si de loco convenit, & domus facta sit: item de loco dato, deinde vineis in eo depositis.] Haec tamen certiora.

919. DICENDUM 1. An sit in potestate debitoris, liberare pignus oblatione alterius rei & quæ idonea. Afirmat cum quibusdam aliis Neguzantius. Et aequitate inspectâ vide-

retur ita dicendum, quia quod uni prodest, & alteri non nocet, imprudenter & irrationabiliter reprobat. Rigore tamen Iuris inspecto negandum videtur, per legem 9. §. 3. ff. de pignor. act. ubi nimis diserte conicitur hoc in arbitrium creditoris, an sibi velit satisfieri per oblationem alterius pignoris. [Omnis pecunia exsoluta esse debet, aut eo nomine satisfactum esse, ut nascatur pignoratitia actio. Satisfactum autem accipimus, quemadmodum voluit creditor, licet non sit solutum. sive NB. aliis pignoribus sibi cavere voluit, ut ab hoc recedat, sive fidejussoribus, &c. & generaliter dicendum erit, quoties recedere voluit creditor à pignore, videri ei satisfactum, si, ut ipse voluit, sibi cavet, licet in hoc deceptus sit.]

Ad rationem dubitanti subtiliter respondet Soares in annotationibus ad Pinellum, & posteam Harpprecht, eatenus interesse creditoris, non substitui aliud pignus, quatenus debitor indiget forte priore pignore, magis hoc modo simulabitur ad celerem solutionem. Addi potest creditorem non teneri sequi iudicium debitoris, an illud quod substituit vult, sit æquè bonum, & idoneum: si ergo creditor recusat, habebit semper aliquam rationem, ob quam sibi non sit æquè idoneum: quidquid sit, an à partem rei ita sit. Deinde, ut bene dixit Hunnius, observandum quoque est, quod in continentem apparere non possit, num oblatum novum pignus æquè idoneum sit ac prius; nam hoc in facto consistit, & tractu temporis explorandum est: quæ temporis molestia merito potest creditori abolerere.

960. DUBITATUR 2. An sicut hypotheca potest solo consensu creditoris & conventionem dissolvi, ita & obligatio pignoris traditione contrahatur? Afirmat Mudæus. Negat Hunnius, & nisi fallor conformis Iuri, nam §. 4. Inst. quib. modis sol. oblig. soli illi contractus dicuntur solo consensu dissolvi, qui solo consensu perficiuntur. [Hoc amplius, ex obligationes quæ consensu contrahuntur, contrariâ voluntate perficiuntur; nam si Titius & Sejus inter se consenserint, ut fundum Tuscolanum emptum Sejus haberet centum aureis, deinde re nondum secuta, id est, neque pretio soluto, neque NB. fundo tradito, placuerit inter eos, ut discederet ab ea emptione & venditione: invicem liberantur. Idem est in conductione & locatione, & in omnibus contractibus qui ex consensu descendunt.] Neque Mudæi fundamentum urget, quod creditor ratione pignoris non habeat actionem nisi hypothecariam: unde sequi putat, quod sicut hypotheca potest tolli solo consensu, ita & pignus: quandoquidem, ut supra dictum, quoad actionem nulla est differentia. Ad hoc tamen bene respondet Hunnius, nullam quidem esse differentiam quoad effectum producendi actionem, esse tamen differentiam quoad

quoad causam constitutivam & formalem (nam pignus traditione constituitur) & sic etiam quoad causam resolutivam.

## CONTROVERSIA XI.

### De Venditione Pignoris ab debitum non solutum.

#### SUMMARIUM.

Valeat pactum vendendi pignus lapsa tempore definitio. 961. Quid si nullus dies solutioni praefixus sit. eod. Absque pacto requiritur Iure Codicis una denuntiatio, & biennium expectandum. 962. Quousque valeat pactum non vendendi unquam pignus. 963. Quid in hoc puncto sit constitutum Iure Bararico. 964. Si pignus venditum evincatur, quomodo consulatur creditori vendenti. 965. Pignora Iudicialia quando capiuntur. 966. Illis captis quando vendenda. 967. Si eadem res pluribus est obligata, quid Iuris, si vendita antiquiori creditori. 968. Si eadem sunt obligatae aliquæ res specialiter, & alie generaliter, quamnam prius vendenda. 969. Venditio Pignoris non Iure facta, est nulla. 970. Pignore evicto, an creditor teneatur de evictione, debet tamen cedere actionem. 971.

IN hoc puncto Ius Bararicum non parum recedit à Iure communi.

961. DICENDUM 1. Quando inter creditorem & debitorem pactum intercessit, ut creditor liceat vendere pignus, vel hypothecam post definitum tempus, intra quod debitum non fuerit solutum, valet pactum. l. fin. §. 1. C. de Iure domini impetrando. ibi. [Sancimus itaque, si quis rem creditoris suo pignoraverit, si quidem in pacto eorum est, quemadmodum debeat pignus distrahi, sive in tempore, sive in aliis conventionibus, ea observari, de quibus inter creditorem & debitorem conventum est.] & l. 4. ff. de pignor. act. [Si convenit de distrahendo pignore, sive ab initio five postea, non tantum venditio valet, verum incipit emptor dominium rei habere.] Debet autem emptor expectare lapsum totius diei constituti per leg. 4. ff. de distract. pign. [Cum solvendæ pecuniæ dies pacto profertur, conveniens videtur, ne prius vendendi pignoris potestas exerceatur.] Nam die primum elapso incipit debitor esse in mora: nec opus habet creditor monere, nam dies interpellat pro creditore, per regulam generalem quæ habetur in leg. 12. C. de contrahenda & committ. stipul. ibi. [Sancimus, ut si quis certo tempore

facturum se aliquid, vel daturum stipuletur, vel quæ stipulator voluit, promiserit, & adierit, quod si statuto tempore minime hæc perfecta fuerint, certam penam dabit: sciat, minime se posse debitor ad evitandam penam adicere, quod nullus eum admonuit: sed etiam citra ullam admonitionem eidem penæ pro stipulationis tempore fiet obnoxius: sicut NB. ea quæ promisit, ipse in memoria sua servare, non ab aliis sibi manifestari debeat potestere.]

Hinc autem econtrario sequitur, quod si nullus dies solutioni praefixus fuit, tunc, ut debitor incipiat esse in mora, necesse est eum à creditore interpellari elapso tempore, post quod ratio dicitur esse solvendum exigente creditore. Et habetur huiusmodi casus in lege 23. ff. de P. O. [Si ex legati causa aut ex stipulatu hominem certum tibi debeas, non aliter post mortem ejus tenearis mihi, quam si per te steterit, quo minus vivo eo eum tibi dares: quod ita sit NB. (id est, ut veram sit, per te stesisse) si aut interpellatus non dedisti, aut occidisti eum.]

962. DICENDUM 2. Si nullum pactum de vendendo pignore intervenit, Iure Codicis requiritur una denuntiatio, quâ factâ adhuc per biennium est expectandum, computandum à denuntiatione facta, si debitum est liquidum, alioquin à puncto late sententia. Ita intelligenda est constitutio Iustiniani, quæ habetur in lege 3. §. 1. C. de Iure dom. impetr. ubi §§. seqq. constituitur, quid agendum creditori sit, si debitor non compareat, aut emptor inveniri non possit, sique tandem creditor jure domini rem teneat, & quamvis integrum sit debitori pignus recuperare. [Sancimus itaque, si quis rem creditoris suo pignoraverit, si quidem in pactone cautum est, quemadmodum debeat pignus distrahi, sive in tempore, sive in aliis conventionibus, ea observari, de quibus inter creditorem & debitorem conventum est. Sin autem NB. nulla pactio intercesserit, licentia dabitur feneratori, ex denuntiatione, vel ex sententia Iudiciali, post biennium ex quo attestata missa, vel sententia prolata est, numerandum, eam vendere. Sin verò nemo est, qui compareat eam maluerit, & necessarius fiat creditor, saltem sibi eam Iure domini possidere: in huiusmodi casibus hanc causam observandam esse censemus, ut si pignus sit debitor, denuntiatio ei scilicet post biennium mittatur, sive abscuerit, Provinciale tribunal creditor petat, & Iudicem certiorare festinet, quatenus ille eum requisiverit, certo tempore super hoc ab eo statuendo, ut fiat debitori manifestum per apparitionem Iudicis, quod à creditore petium est, & certum tempus statuat, intra quod si fuerit in ventus debitor, debet is, qui pecuniâ creditas accepit, debitum offerre & pignus recuperare. Sin autem nullatenus fuerit in ventus, Iudex certum tempus definit, intra quod ei licentiam dabit sese manifestare, & offerre pecuniam,